



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 52. Alexius Comnenus Imperator moritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](#)

folymitanus e vita excessit. Anno mille- **Sæcul. XII.**
 simo centesimo decimo quinto Paschalis **A.C. 1118.**
 Papa, cum satis exploratum haberet,
 quam flagitiis infamem & Sacerdote in-
 dignam vitam duceret Arnulphus, Epi-
 scopum Arausicanum cum potestate Le-
 gati Apostolici in Syriam misit, qui Epi-
 scopis totius Regni convocatis, Arnul-
 phum quoque venire compulsum e Sede
 sua, ut merebatur, depositus. At Arnul-
 phus consuetis artibus, quibus omnes
 capiebantur, confisus, ut erat solertiissi-
 mus, mare trajicit, Romam venit, atque
 adulatio & muneribus, quæ largissima
 manu spargebat, Papæ animum eorum-
 que, quorum consilio utebatur, ita sibi
 devinxit, ut Dignitati & Ecclesiæ suæ re-
 stitutus fuerit. Rediit ergo Jerosoly-
 mam, ubi mores nihilo ac ante meliores
 exhibuit, in omnem licentiam effusus.
 Tandem anno millesimo centesimo deci- **XII. c. 6.**
 mo octavo fatis functus est, eique vir
 simplex & timens Deum, Gormundus no-
 mine, Piquiniaci in Territorio Ambia-
 nensi in lucem editus, subrogatus.

§. LII.

Alexius Comnenus Imperator moritur.

Ilo quoque anno millesimo centesimo
 decimo octavo, quem Græci sexies
 millesimum sexcentesimum vigesimum
 sextum numerabant, Feria quinta, die

B b 4 deci-

Sacrol. XII. decima quinta Augusti, vitam cum mor-
A.C. 1118. te commutavit Constantinopoli Alexius
Anna i. XV. Comnenus Imperator, annos circiter se-

p. 501. ptuaginta natus, postquam annos trin-
Zonar. ta septem, menses quatuor, & aliquot
XVIII. n. dies Græcis imperasset. Quamvis vero
 29.

Sup. lib. Alexius sæpius Principibus Latinis ad-
LXIII. §. versatus fuisse legatur, semper tamen Cæ-
 42. &c. tholicus ac Communione Ecclesiastica
Chron. Caff. Sedi Romanæ junctus extitisse videtur,
IV. c. 17. tum si spectemus ejus Epistolas ad Urba-
 &c.
Petr. II. num II. & Paschalem II. Romanos Ponti-
 ep. 39. fices, datas, tum etiam dona, quæ diver-
 sis temporibus ad Monasterium Cassinen-
 se, & quod multo remotius erat, etiam
 ad Cluniacense, transmisit. Præterea
 illa omnia, quæ ad Religionem per-
 hinc, accurate discere cupiebat. Quo-

Eutym. Zi- ties a negotiis publicis otium erat, illud
gab. Pan. tempus S. Scripturæ studio dabat, & de
init. Quæstionibus Fidei cum viris doctis,
 quorum magna copia semper Constanti-
 nopolis versabatur, conferebat, eo potissi-
 mum consilio, ut Hæreses, quæ in varias
 Imperii partes, cum Infidelium jugo pre-
 merentur, irreperserant, facilius repreme-
 re valeret. Hunc etiam in finem Eu-

thymium Zigabenum Panopliam scribe-
 re jussit.

§. LIII.